# QUÆSTIO MEDICA EAQUE THERAPEUTICA;

Pro primâ Apollinari laureâ consequendâ

PRÆSIDE

ILLUSTRISSIMO VIRO

## D. D. JOANNE BEZAC,

Regis Consiliario & Medico, nec-non in almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Professore Regio dignissimo, ac Prodecano plurimùm venerando.

SUB HAC VERBORUM SERIE.

*An chlorosi aquæ sancti Laurentii balneorum dicti.*

Quam Deo duce & auspice Dei-parâ, propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Appollinis fano JOANNES-BAPTISTA ROCHIER, Argentariensis apud Vivarienses, Artium Liberalium Magister, & jam dudum Medicinæ Studiosus, Die Junii 1714.

MONSPELII;
Apud HONORATUM PECH, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis Typographum. 1714.

# QUESTIO MEDICA.

## EAQUE THERAPEUTICA.

### *An chlorosi aquæ Sancti Laurentii balneorum dicti.*

TACITO quodam naturæ decreto, idque exigente necessitate, tanto amore uterque sexus se mutuò prosequitur, ut nihil alterutri magis quàm alterius incolumitas & alacritas cordi sit; hinc communis omnium parentis interiùs stimulantis legibus obsequens, in chlorosis causis, fiendi modo, naturâ & symptomatis, in hoc primo doctrinæ tentamine, me erudiendum censui, quò feliciùs illius affectus qui virginibus & maritatis blandientem oculis fulgorem adimit, illas invenusto colore suffundit, naturalem ipsarum indolem pervertit, & decentes lepores supprimit, convenientibus remediis progressui occurrere, & ipsum radicitus evellere queam.

Chlorosis à græcâ voce, *chloron*, quæ pallidum, aut viridè significat, variis nominibus insignitur, qualia sunt pallidus virginum color, icterus albus, febris alba & amatoria.

Optimè definitur ea cachectica corporis dispositio in quâ externæ ejus partes, præ cæteris facies pallido colore frequentiùs quàm virescente aut livido, nigrante aut plumbeo perfunduntur.

Hic affectus non est solis femellis proprius, ut antiqui putabant; sed utriquè sexui communis, hâc tamen differentiâ quod femellæ crebriùs ei obnoxiæ sint quàm mares qui propter vegetiorem sanguinis fermentationem quâ fruuntur, judicium solidiùs quo pollent, & firmiorem solidorum & fluidorum compagem quam nacti sunt, resistunt causis morbificis quibus illæ quotidiè succumbunt. Ad hæc accedit non raro fermentum

uterinum connubium inire cum menstruis alimentorum coctioni destinatis; undè varia naturalis regiminis anomalia, quæ chlorosim inducit, vel inductam fovet. Non mirùm igitùr puellas nubiles multò sæpius ea deturpari, quàm immaturas & vetulas. Quamvis affectus ille virgineus nuncupetur, nuptæ tamen ab ejus labe non sunt prorsùs immunes, præsertìm si grato veneris joco sensus rarò exhilarentur.

Causæ chlorosis aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Internæ distinguuntur in antecedentes & conjunctas. Priores sunt salivale, stomachale, intestinale, pancreaticum & biliosum, plùs minùsve, in chyloseos officinis, vitiata fermenta, quibus fit ut chylus crassus, acidus, viscidus, crudus, frigidus & aquosus progignatur. Posteriores sunt humores recrementitii, & excrementitii qui ex chylo mediâ fermentatione quam subit in vasis sanguiferis, & materiæ subtilis trajectione emergunt, nec-non prædictorum humorum materies quæ nondùm probè subacta illorum formam non induit. Quandòquidem humores contineri formalitèr in sanguine demonstrent ratio & experientia, illud pro virili parte propugnare conabimur.

Ad causarum externarum classem reducantur omnia quæ primam alimentorum digestionem pervertere possunt. Talia sunt crassa, cruda, dispepta, viscosa, humida, frigida alimenta, immodicus acidorum usus, incauta victus ratio, crapulæ, inter quæ aquæ frigidæ ingurgitatio ultimum locum non obtinet, calida ut liquores ardentes, piper, cinnamomum, aliaque aromata, absurdorum esus, graviora animi pathemata; paucis, quæcumque chylum per se, vel per accidens, inquinare valent. Nunc ad symptomatum explicationem progrediamur.

Colorem pallidum in penuriam rutilantium sanguinis globulorum, eorumdem submersionem, nec-non uberiorem seri cum corpore mucoso permixtionem, penuriam globulorum, in parciorem ipsorum Genesim, hanc in fermentationem imminutam ob depravatam humorum diathesim refundimus. Immerguntur globuli copiâ seri, & lymphæ quæ prædominium obtinent remissâ sanguinis fermentatione, & expresso serò è moleculis sulphureis, crassioribusve ad se invicem propiùs accedentibus. His solis causarum momentis nativum colorem supprimi, subalbidumque transluccre, præcipuè in facie ob cutis tenuitatem & raritatem, vel pervicaces confiteri cogentur.

Sanguis perturbatus moleculis diversæ figuræ, magnitudinis, & pororum ordinis, præternaturalis fermentationis motu cietur, qui naturalem parùm excedit, quippè magna illarum pars compedibus sulphuris, & terræ implicata est, & vires earum quæ sui juris sunt aqueis atomis enervantur. Intereà modica quantitas fluidi cordis motivi minoris energiæ suppeditatur loculamentis villorum ejus contractilium, hinc machina princeps parvas tantummodò contractiones, & dilatationes perficere potest, in quibus perficiendis quàm in majoribus minùs temporis impenditur, sequitur ne-

cessariò pulsus parvus, & frequens, & febricula quæ amatoria dicitur ex eo quod ex vesano amore, vel viris complacendi studio interdum natales ducat. Qui autem tam blandum animi pathema deformi huic affectui ansam præbeat, non est arduum conceptu. Animâ altius in objecti oblectantis imagine defixâ, spiritus in emporio ex lege unionis retinentur, proindèque tam solida, quàm fluida suis muniis explendis imparia fiunt, & totius corporis œconomia in pejus ruit.

Membrorum gravitas ac lassitudo spontanea à spirituum & copulæ explosivæ inertiâ, ac paucitate, musculorum flacciditate, & sanguinis morâ oriuntur. Inertia spirituum & copulæ à seroso latice quo plus æquo diluuntur, paucitas à segniori commilitonum generatione, & difficili ipsorum, ac materiei quæ in eos facessit extricatione propter sanguinis spissitudinem. Flaccescunt musculi utrorumque vitio, nec-non quantitate seri quo irrigantur illorum fibræ. Moram contrahit sanguis ob ipsius crassitiem, & imbellem cordis ictum, impertitis aliquot gradibus sui motus partibus naturali tono destitutis.

Respirandi difficultas provenit ab infarctu pulmonum vesiculas angustante qui fit à sanguine spisso ad illos celeriùs appellente in corporis exercitationibus, eorumque ambages lentiùs peragrante, communicatâ magnâ sui motûs parte laxato illius visceris parenchymati. Appellit sanguis copiosius ad pulmones dùm corpus exercetur, quoniam musculorum contractione ejus circuitus acceleratur, partes intricatæ evolvuntur, spiritus sanguini passim commiscentur, undè ejus calor intenditur, & humores sese expandunt versùs eam loci differentiam, versùs quam minorem offendunt resistentiam, cum ergò pulmones magnæ dilatationis capaces, & in thoracis vacuo sint pensiles, necesse est eos multùm infarciri. Non admisso aëre concidunt bronchiorum atque vesicularum parietes, incurvantur tubuli sanguiferi, atque adeò majori cum difficultate eos percurrit sanguis, congeruntur humores, proindèque spiritus ægrius ducitur, cui veritati non refragabitur quisquis animadverterit aëris mole, rarescentiâ, & virtute elastica tantummodò vasa dirigi, & pulmones nulli parti mollitiè secundos, si cerebrum excipiamus dilatari.

Interrupto suo per pulmones cursu, scalarum ascensu vel quovis alio gravi labore sanguis repulsum passus iter suum relegit versùs dextrum cordis thalamum, illumque denuò, depressis adhuc valvulis, superincumbente ejus portione quæ nondùm illas transcendit, subintrare nititur; quamobrem cor geminatis viribus validiorem contractionis nisum edit, insolentèrque costas ferit, en genuinam palpitationis rationem.

Supprimuntur catamenia obstructis, vel compressis incerniculis eorum secretioni dicatis, hæc obstruuntur limosa, viscidaque materia eorum meatibus incuneata, comprimuntur autem tumoribus schirrosis, aliisque. Pari modo inhibetur fluxus aliorum humorum, undè varii pullulant tumores in variis corporis visceribus.

Crura & pedes intumescunt in situ perpendiculari aut ad illum accedente, quia sanguis in illorum alterutro, motu cordis & nisu gravitatis deorsùm tendit, & debili duntaxat cordis ictu sursùm remeat obsistente pondere, caniculorum elatere, musculorum contractione, atque systaltico partium vicinarum motu ejus ascensum parùm juvantibus, undè concrescit, serum dimittit, partesque in tumorem ædematosum attollit. Posito autem corpore in situ horizontali, nec concurrit ad descensum cum cordis contractione pondus, nec renititur ascensui; quapropter in lecto detumescunt & crura & pedes, ad quod cubilis calor symbolum confert. Ex his patet cur facies & palpebræ tumefiant noctû, tumor verò interdiù evanescat. Nocturno autem tempore palpebræ præ aliis partibus tument, propter quietem respectivam, & contextus laxitatem.

Imminuitur aut prosternitur appetitus, quod orificium ventriculi superius, præcipua famis sedes, aliæque ejus partes propter flacciditatem, fermento stomachali, utpotè nimis plegmatico, aut viscido, nullo modo aut levitèr vellicetur ad sensationem famis excitandam.

Appetitus absurdorum procedit à grato, etsi præternaturali sapore qui pendet ab eorum & salivæ miscelâ, & eorumdem cum fermento stomachali & intestinali concordiâ. Quædam tamen proterruæ puellæ exemplo aliarum commotæ, ad sibi conciliandam, de quâ sunt semper sollicitæ, pulchritudinem, quâ procis arrideant, absque ullo voluptatis sensu absurda vorant, quibus temporis successu mutatis fermentis, delectantur. Cum contrariorum contraria sit ratio, liquet cur affectæ assueta fastidiant.

Intercepto in meningibus liquoris vitalis circulo, tument vasa, comprimuntur nervi, spirituosi rivuli retortis undis repetunt emporium, illiusque fibras fortitèr concutiendo dolorem suscitant.

Vitiatis menstruis digestionis opus malè perficitur, generantur liquamina cruda, quæ suborto fermentationis tumultu, nervea stomachi, intestinorumque stamina, sui expansione distrahunt, vel particulis suis rigidis pungunt, aut alio quovis modo lacessunt. Hinc stationarii milites aurâ celeriùs ad sacram palladis arcem convolant, ad hæc confederati hujus incolæ turmatim ab alto decurrunt in fibrarum carnosarum intestinalium angiportus, in cellulas fibrarum dyaphragmatis, & musculorum abdominis, cum suo commilite strenuè colluctantur, & conjunctis viribus ingruentes hostes foras exturbant, suscitato motu peristaltico, contractis dyaphragmate, atque musculis abdominis. Non est quod longiùs inquiramus in caufam torminum alvi, quæ non nunquàm chlorosim concomitantur.

Diagnosis. Ex symptomatibus in thesi recensitis satis superque innotescit chlorosis.

Prognosis. Hic affectus inter morbos chronicos recensetur, præsertim si initio à Medicis negligatur. In principio remediis facilè cedit, quia sanguis à statu naturali parùm recessit, progressu verò facto difficilem ad-

modùm

modùm admittit curationem, magnumque vitæ periculum portendit. Chylificatio enim magis ac magis in dies vitiatur, quod fieri nequit fine maximâ fanguinis labefactatione. Contaminatis humoribus, fuccus nutritius alendo corpori ineptus evadit, contumaces fiunt obftructiones, ingruunt morbi ipsâ chlorofi longè periculofiores, putà phtyfis, hydrops, &c. mulieres quæ hoc affectu diù laborant aut fteriles fiunt, aut proles infirmas edunt, demùm faciliùs aut difficiliùs extirpatur pro ægrotantium conftitutione, tempore quo afficit, & fymptomatum magnitudine: in fterilibus maritatis ferè inexpugnabilis eft, non item in virginibus, cum experientia doceat matrimonio, menfium fluxu, & concepta prole eis valetudinem optatam prorsùs reftitui.

Curatio. inftitutâ diætâ mediocri ex alimentis euchymis & eupeptis, quâ chylus & fanguis laudabilis progenerentur. Eligatur aër temperatus. Calidus & ficcus frigido & humido anteponendus eft. Potus ordinarius fit ptyfanna tenuis, levitèr aperiens, & incidens, cum paucâ quantitate vini generofi, quo recreentur fpiritus, & alimenta faciliùs fubigantur. Ægrotantes fe mediocritèr exerceant, ut humores craffi paulatim attenuentur. Somnus fit moderatus, fi quidem longiùs protacto, fanguis minùs circulatur & depuratur; graviora animi pathemata evitentur, lætitia quâ fpiritus in univerfum corpus affatim diftribuüntur, & fermentatio humorum adaugetur fummoperè prodeft. Vena brachii tundatur, fi adfit plæthora, depletis enim vafis fanguis faciliùs ventilatur, ac depuratur, nec timendum indè à cachexiâ. Si tamen ægrotantes ferè fint exangues, & valdè languidæ à phlebotomiâ abftinendum præmifsâ, vel omifsâ prò Medici prudentiâ venæ fectione, fi nihil prohibeat propinetur emeticum quo faburra in ventriculo nidulans, & morbum fovens citò & tutò eliminetur. Si quid autem contra indicet catharticum tantummodò præfcribatur. His peractis ad attenuantia, & aperientia fortiora progrediendum, qualia funt jufcula radicibus brufci, afparagi, rubiæ tinctorum, fœniculi, petrofelini, foliis dentis leonis, chicorei fylveftris, eupatorii cannabini, linguæ cervinæ, pimpinellæ, agrimoniæ, aliifque hujufmodi alterata, quibus addi poteft tartarum folubile, ne autem hujufmodi jufculorum ufu vis fermentorum debilitetur aut infringatur, immifcendum identidem aliquantillum rhabarbari & ferri rubiginofi in nodulo fufpenforum, quibus ventriculi tonus confervetur & chylofis rectiùs procedat, inteferendæ leves purgationes ex fenna, rheo electo, & fyrupo de chycoreo, aliifque ad eumdem fcopum tendentibus compofitæ, præmiffo bolo ex dracone mitigato, fale abfinthii, tamarifci, & fyrupo de arrhemifia horâ fomni degluriendo, quo præparentur humores. Stomachica, & corroborantia, ut theriaca vetus, confectio hyacinti, non funt prætermittenda. Martialia, utpotè quæ acida primarum viarum abforbent motu & mole exagitant fanguinem, & ficut clavus clavum trudit affixum colis & vafis capillaribus craffamen fubmovent apprimè

conveniunt; ſed cum aquæ Sancti Laurentii apud Vivarienſes, non ſolùm primas vias everrant; ſed etiam craſſos & viſcidos humores in vaſis contentos fundant, & liquent, obſtructiones reſerent, & non aliarum thermalium inſtar præ ſuo calore nimis corpus exſiccent. Jure concludo,

*Ergò chloroſi aquæ Sancti Laurentii balneorum dicti.*

# DISPUTATURI.

## PROFESSORES REGII.

R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Cancellarius & Judex.*
R. D. Joannes Chaſtelain, *Decanus.*
R. D. Petrus Chirac.
R. D. Petrus Magnol.
R. D. Antonius Deidier.
R. D. Petrus Rideux.
R. D. Antonius Magnol, *Patris Coadjutor.*
R. D. Jacobus Chaſtelain, *Patris Coadjutor.*

## Doctores Aggregati.

R. D. Joannes Henricus Haguenot.
R. D. Joannes Henricus Haguenot, *Patris Coadjutor.*

## Doctores Ordinarii.

M. Antononius Franciſcus de la Meſlangere.
M. Jacobus Franciſcus Calot.
M. Sebaſtianus Servonnet.